Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

trusos ad proprias sedes revocavit, templa deorum claudi fecit eorumque sacerdotes fu-
gavit. Athanasium virum catholicae fidei defensorem, ut eum de fide imbueret, scripto
rogavit. Cui ille assumptis probatioribus episcopis rescripsit in hunc modum: Piissimo
atque clementissimo victori augusto Ioviniano Athanasius et reliqui episcopi convenien-
tes ex persona omnium episcoporum Egiptiorum, Thebaydis et Libie. Decet Deo ama-
bilem principem discendi habere voluntatem desideriumque caelestium. Sic enim vere et
cor habens in manu Dei et imperium cum pace multis annorum circulis gubernabis. Vo-
lente igitur a nobis tua discere pietate catholicae ecclesiae fidem, gratias obli Deo referentes
curavimus ut prolatam ab omnibus in Nicea patribus tuae pietati insinuaremus fidem. Hanc
enim repudiantes quidam nobis eandem frequenter insidiati sunt, eo quod Arrianae non consen-
tiremus insaniae. Arrius enim quidam eiusque sectatores erupere et impietatem adversus eam in-
ducere temptaverunt, dicentes ex non extantibus et creaturam atque facturam conver-
tibilemque esse filium Dei, plurimosque per Italia seduxerunt, ita ut et qui aliquid esse videban-
tur blasphemia huiusmodi traherentur. Et propterea necessario considerantes
lesionem quae huiusmodi contra propositum generatur, offerre tuae pietati confessionem Nycei
concilii curavimus. Est autem haec Nycei concilii fides: Credimus in unum Deum patrem omni-
potentem et cetera. Eos autem qui dicunt erat quando non erat et antequam nasceretur non erat, et quia
non extantibus factus est aut ex alia subsistentia vel substantia dicentes esse aut crea-
tum aut convertibilem aut mutabilem filium Dei, hos anathematizat sancta catholica
et apostolica ecclesia. Quas litteras imperator legens gratanter suscepit, fidemque catholicam
datis roboravit edictis. Legem etiam qua sacrarum virginum non solum raptores et violatores
sed et inpudici inspectores capite plecterentur promulgavit. Verum Athanasius ad im-
peratorem Antiochiae morantem venit eumque familiari usus colloquio de fide catho-
lica informavit. Ipse autem christianissimus princeps ab Antyochia Tharsum Cylicie adiit,
ibique predecessoris sui Iuliani corpus honorifice sepeliens consul vocatus est. Inde
ad Yllaricum digrediens ac per Galatiam iter agens, in domo quadam nuper calce illita,
dum prunae ponerentur, ex calore prunarum et nidore parietum suffocatus inmatura morte
XXXIII. aetatis suae anno, imperii vero secundo, VIII. mense regno simul et vita per-
Anno ab incarnatione domini CCC. LX. VII. Va XL. functus obiit.
Valentinianus natione Pannonius ac mediocri stirpe ortus, sed animi ac corporis magnitudi-
ne valens et urbanus XXXVIII. ab augusto consensu militum in Nycea suscepit imper-
ium. Is dum sub Iuliano augusto millenarius ac circa palatium constitutus esset, ipso